THESES ALIQVOT PHILOSOPHICAE,

Quas,

AVSPICE ET PROPITIO NVMINE ingenui Adolescentes, ex inclyto Collegio *Salvatoriano, cum laurea, hac vice emittendi* in publica diatriba, propugnabunt Andreapoli A.D. Iulii. An. Dom. 1627. *horis & loco solitis.*

Præside IOANNE BARRONIO.

EDINBVRGI.
Excudebat *Iohannes Wreittoun* Typographus,
An. Dom. 1627.

ILLVSTRI AC GENEROso Domino, D. Thomæ KELLIE, Equiti aurato: Serenissimi ac *Potentissimi CAROLI I. D. G. Magnæ* Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis *Cubiculario, in exercitu Scotorum sub invictissimo* Daniæ Rege merenteín Germaniâ Syntagmatarchæ *dignissimo; Patrono & Mæcenati* suo plurimum colendo.

Et Philosophicus hic ingenioli nostri fœtus, patronum sibi aliquem, nec expetere admodum videbatur, nec expectare, cum in veritate, & propugnatorum industria, spes ei omnis reposita sit, & præsidium; nec multum interesit, quâ specie, quove auspicio, publice appareat, qui non alio fine lucem aspicit, quam vt horis aliquot digladiantium Philosophorum ictibus se exponat, eodem mox die transcribendus in senium, & cum decessoribus suis, præcedentium annorum Thesibus, ad salsamentarios amandandus: quia tamen ita apud nos Academiæ consuetudo obtinuit, vt anniversaria nostra Theses diatribæ celebritati non offerantur, nisi typis & formulis prius excusæ publici iuris fiant; nec in publicum, nisi sub magni alicuius Herois patrocinio, prodire soleant; nos scendum in theatro sumus seruiendum esse agnoscentes, nostra etiam hæc qualiacunque prælo committere decreuimus, tibiq; (Illustrissime Domine) nuncupare, & in tutelam committere, de cuius generosa indole, & præclaris virtutibus, nobis omnia quæ in magnifico & illustri patrono exoptari poterant, certo certius polliceamur. Tu enim arma & literas iuxta colens, nobili hoc virtutis bivio, ad sublime honoris fastigium, ad nominis immortalitatem, magna animi contentione grassaris, atq; ita nobilitatem antiqui stemmatis vnde excidêre maiores tui virtute facile recuperas. Tu peragratis feliciter celeberrimis Europæ regionibus, rara omnia eximia virtutis monumenta exterorũ ad quos diuertebas, mores, indolem, institutа, obseruasti sedulo, & in memoriæ sacrario reposuisti: capacissimum ingenium optimis quibusque artibus pulcherrimè exornasti; & quoties

ties idonea obvênit occasio, sub vtrâque Pallade militasti strenuè, nec sine gloria, inter ipsum etiam armorum strepitum Musas tam familiariter in secretum admittens, vt hoc studiorum temperamento, iam minus Martem gradivum refugiant. Humiles istæ & plebeiæ animæ domi resident, & adfixæ sunt suæ terræ: tua vero divinior est; quæ cœlum imitatur, & gaudet motu, teq; ad perpetuos, sed honorificos damnavit labores, donec tandem, superatis invidiæ nubibus, in æternitatis sudo conquiescas. Hæ virtutes in peregrinis gentibus te illustrem fecerunt, commendarunt Regibus, & meritissimis honoribus cumularunt; & cur non apud nos, in patriâ tuâ pretium ijs erit, & præmium? Eludant, vt volent, scientiæ maiestatem, quidam barbaris & incultis ingenijs horrentes; heroicam fortitudinem per contemptum & iocum irrideant, quos degener animus socordiæ & ignaviæ mancipavit: Nos rarum hunc Martis & Minervæ hymenæum insignes illas mentis tuæ dotes suspicimus, & hac, modo, nuncupatione, scire alios volumus, ornandi tui, nobis si desit facultas, at voluntatem superesse: quam profecto in nostris animis hoc præcipuè accendit, & fovet, quod tu, vnica licet parentum tuorum cura, spes & columen familiæ, amplissimi patrimonij hæres, spretis tamen externis illis bonis, quæ pompa tantum & ostentui sunt, iam nunc denuo vastis consilijs animum imbueris, & virtutis ac honoris stimulis incitatus, propediem in Germaniam cogites, aditurus nova pericula, novos labores, pro Rege, pro patria, pro Sereniss. illis, immerito calamitosis Principibus, sub invictissimo Daniæ Rege militaturus. Macte Vir generosiss. Perge Deo, perge Principi & patriæ militare; Sciant homines tibi animum esse, vt ad raram eruditionem, & eximium bellici honoris decus, vno perpetuoque spiritu anhelantem, ita (quod in tuis præconijs potissimum eminebit) gloriæ divinæ maiestatis, eiusq; cultus sinceri studiosissimum. Nos, qui tui nominis vmbra securi, furentem indocti livoris insaniam, strepitumq, obtrectatores omnes, tantum non ridemus, tibi tenues has laborum nostrorum primitias, hoc quicquid est munusculi, ad amicitiæ aram submissè deponimus; & spectatissimo nostro Patrono vovemus felicitatem, victorias, & triumphos. Vale.

Tui honoris studiosissimi,

A. L. M. C.

Nomina Propvgnatorvm.

Andreas	Moncreifus.
David	Baxterus.
Georgius	Gladſtonus.
Gulielmus	Cobanus.
Gulielmus	Inneſius.
Gulielmus	Myrtonus.
Henricus	Stuartus.
Hugo	Hutcheſonus.
Iacobus	Gairdinerus.
Iacobus	Kæthus.
Iacobus	Ogilvius.
Iacobus	Primroſius.
Ioannes	Kinnerus.
Ioannes	Simmerus.
Patricius	Lyndeſius.
Robertus	Birnæus.
Thomas	Kinnerus.

THESES LOGICAE.

I

LOgica eſt habitus effectivus, ſecundarum notionum, quibus mens humana dirigitur in acquirenda, & conſervanda rerum cognitione.

1. *Non dubitandum eſt, quin Logicæ genus remotum ſit ars, quam Ariſt. 6 Ethic. Cap 4. inter virtutes intellectuales quintam numerat, ac recte definit* ἕξιν μετὰ λόγου ποιητικήν.

2. *Et fruſtra ſe torquent, qui ſextum quoddam habitum genus ab iſtis diſtinctum excogitari volunt, ad quod diſciplinæ organicæ referantur.*

3. *Ad veram rationem ποιοῦντος quæ eſt finis, & operatio artis, non requiritur vt tranſeat in materiam externam, nec vt opus aliquod ſenſibile poſt ſe relinquat, aut organo corporeo & ſenſibili exerceatur; ſed ſufficit quod vel ſit productio operis ſecundum præcepta artis, vel ipſa ſit & operatio & opus. Quod addo, propter artes ſaltandi, pſallendi, & alias hujuſmodi, quarum operationes, prout in ſe concinnitatem iſtam habent, & elegantiam (quæ eſt forma quædam artificioſa) etiam artium iſtarum opera non immerito nuncupantur.*

4. *Supra quam par eſt favent Ariſtoteli, qui vt Logicæ ejus perfectionem tueantur, Syllogiſmum eſſe adæquatum Logici ſyſtematis ſubjectum contendunt.*

5. *Nos certe, cum doctiſſimis Philoſophis, non minus Definitionis, Diviſionis, & Methodi, quam Syllogiſmi tractationem, ad eſſentialem Logicæ conſtitutionem pertinere arbitramur.*

6. *Reliquas vero omnes notiones logicas, quoniam privatio, & per ſe non conducunt ad dirigendas mentis noſtræ operationes, tantum in iſtarum gratiam in Logica explicari aſſerimus.*

II. Καθόλου δὲ λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντὸς τὐπάρχῃ, καὶ καθ' αὑτὸ, καὶ ᾗ αὐτό. *Ariſt. 1. Poſt. cap. 4.*

I. *Hæc*

1. *Hæc propoſitio*, Demonſtratio eſt apta ad pariendum ſcientiam, *non minus eſt neceſſaria & demonſtrativa, quam iſta*, Homo eſt diſciplinæ capax.

2. *Ad neceſſitatem propoſitionis non requiritur vt termini in ſe ſpectati, ſint neceſſarij, ſed ſatis eſt quod eorum connexio ſit neceſſaria & æterna, ſive ipſi ſint entia realia, ſive entia rationis, ſive item res neceſſariæ, ſive contingentes.*

3. *Dantur in Logica veræ & proprie dictæ demonſtrationes: quæ tamen ob id ἔξις ἀποδεικτικὴ non appellabitur.*

4. *Nihil impedit quominus accuratæ demonſtrationes, & proprie dictæ ſcientiæ partiales concurrant ad conſtitutionem habitus totalis, qui non eſt ſcientia, ſed ars.*

III. Omnis habitus in eſſentia ſua includit relationem ad proprium objectum.

1. *Non minus eſſentiale eſt Logicæ quod ſit organica, quam quod ſit habitus & ars.*

2. *Ars organica eſt proximum genus Logicæ & Grammaticæ.*

3. *Errant illi, qui exiſtimant fieri non poſſe, vt eadem diſciplina ſit eſſentialiter & habitus inſtrumentarius & ars.*

IIII. Zabarella vnicus eorum patronus qui artem & habitum inſtrumentarium ſibi invicem opponunt, recte ſtatuit, ex omnibus diſciplinis ſolam Logicam & Grammaticam eſſe inſtrumentarios habitus, atque ita eſſentialiter, ab omnibus alijs diſtingui.

1. *Etſi igitur opera quæ aliæ quædam artes conficiunt non minus ſint inſtrumenta quam ea quæ fabricant Logica & Grammatica cum tamen ſit ſpecifica diſciplinarum diviſio, hæ ſolæ artes organicæ cenſeri debent, vtpote, quæ ſolæ fabricant inſtrumenta tantæ vtilitatis, vt omnibus diſciplinis docendis & addiſcendis inſeruiant.*

2. *Non minus veritati quam Ariſtoteli adverſantur, qui ſtatuunt τὸ ὀργάνικον includi in eſſentia artis communiter ſpectatæ, atq; adeo omnem artem eſſe habitum inſtrumentarium, contra receptam philoſophorum doctrinam aſſerere non verentur. præterea quod nemo dixerit artem militarem, aritbmeticã logiſticã, artem citharizandi &c eſſe habitus fabricativos inſtrumentorũ alijs diſciplinis inſervientium.*

3. *Cum tamen fateantur τὸ ὀργάνικον ſaltem ἀλλοτριωτικῶς ſumptum eſſe differentiam eſſentialem, per quam Logica & Grammatica*

a reliquis artibus distinguũtur, non tã reipsa sententia nostra de natura Logicæ adversari, quã contradicendi studio λογομαχῶν videntur.

V. Λέγω δὲ καθόλου μὲν, ὃ ἐστι πλείοσιν πέρυκε κατηγορεῖσθαι. δεῖ δέ τι ἢ ἓν ἢ τὸ αὐτὸ ἐπι πλειόσιν εἶναι μὴ ὁμώνυμον. Arist. lib. περὶ ἑρμ. cap. 7. & 1. Post. cap. 11.

1. *Essẽtia Vniversalis cõsistit in vnitate & cõmunitate, quæ nihil est aliud quã relatio ad multa in quibus æqualiter & immediate multiplicatur.*

2. *Vnitas illa convenit rebus tantum per operationem intellectus nostri abstrahentis naturam communem a suis particularibus: unde* vnitas præcisionis *appellatur.*

3. *Natura humana spectata vt in singularibus hominibus existit, nec est vna, nec communis.*

4. *Reapse igitur non aliud est communis illa natura, quam plures naturæ singulares.*

5. *Datur tamen in ea ante omnem intellectus actum vnitas essentiæ, quæ formalis dicitur, sed non re distincta ab vnitate numerica.*

6. *Vnitas præcisionis in natura communi necessario præsuppo nit vnitatem formalem.*

7. *Singulares homines, ante operationem intellectus, in nullo essentiæ gradu conveniunt; nec est Plato v. g. idem genere, aut specie, cum Socrate, nec ab eo genere, aut specie differt.*

8. *Non minus aversamur eorum dogmata qui dicunt, Vniversale nihil esse aliud quam commune nomen, aut communem conceptum, aut accidens intensionale, aut demũ collectionem particularium; quã Scotistarũ, qui statuunt, res esse vniversales extra intellectum, & dari vnitatẽ formalem ex parte rei distinctam a numerica.*

VI. Cum Metaphysica communes affectiones de ente demonstrat, nomine entis non sola substantia, sed accidens quoque necessario intelligitur: neque vsquam in Philosophia accidentis nomine principale aliquod ejus analogatum designatur

1. *Analogum per se sumptum non semper stat pro suo famosiori (vt loquuntur) significato; atque adeo nec vnum sine adjectione suppouere debet pro per se vno vnitate vniveca.*

2. Non igitur admittendum est, illud omne quod per mentis abstractionem habet vnitatem communem multis, & aptitudinem existendi in pluribus, esse Vniversale;

ne fateri cogamur Analogo & vni per accidens vniversalitatem proprie dictam convenire.

VII. Animal relatum ad singulares homines, excluso omni respectu ad bruta, non est genus, quia sub hac consideratione non refertur ad ea quæ specie differunt; nec species, quia ijs non immediate convenit, nec ad aliud ullum prædicabile Porphyrianum referri potest (ut omnes norunt) & per consequens vniversale proprie loquendo dici nequit.

1. *Temere satis (ne quid dicam gravius) recentiores quidam Philosophi particulam* immediate *ex definitione Vniversalis expungendam esse statuunt; quam nos ab ipso Aristotele, quoties vniversale definit subintellectam fuisse, nec sine ea receptam ejus de Vniversalis natura doctrinam defendi posse, arbitramur.*

2. *Asserimus igitur, illud solum esse Vniversale, quod refertur ad plura quibus ineſt immediate, & consequenter definitionem Vniversalis Generi tantum & Speciei prædicabili convenire, nec vllum ex tribus reliquis prædicabilibus esse veram Speciem Vniversalis.*

3. *Genus remotum, qua tale, non est Vniversale atque adeo nec simpliciter, & absolute loquendo, Genus, quod certe non absurdum videbitur ei qui scire poterit, Genus sub quadam consideratione, nempe vt sub Vniversali collocatur in categoria entium rationis, non esse vniversale & per consequens, non esse Genus, sed Speciem; & ipsum Vniversale, prout suo generi subjcitur, non esse vniversale, sed particulare; h. e. eandem notionem logicam, pro diversa mentis nostræ relatione, sortiri diversas, imo oppositas denominationes, & vere de seipsa negari posse.*

VIII. Ad realem compositionem requiritur vt partes componentes sint entia realia re distincta; vtque fiat per veram realis agentis actionem.

1. *Speciei compositio ex genere & differentia non est realis, sed merum mentis nostræ opus cum fundamento in re.*

2. *Nec alia est ratio constitutionis essentiæ singularis ex natura specifica & differentia individuali.*

3. *Compositum omne Metaphysicum, qua tale, est Ens rationis.*

4. *Animalitas a parte rei est tota hominis essentia, nec minus quilibet alius essentiæ humanæ gradus Metaphysicus.*

5. *Differentia individualis, quæ est verum & vnicum individuationis principium (Scotistæ haecceitatem vocant) non minus pertinet ad*

essentiam individui, quam differentia specifica ad essentiam speciei, nec ab ea re, sed tantum ratione distinguitur; sicuti nec differentia specifica ab ipsa specie.

6. Cum igitur individualis differentia Petri non minus vere sit internum singularis illius essentiæ principium, quam rationalitas principium hominis: non magis putandum est res extra intellectum seipsis singulares esse, quam hominem seipso esse hominem; nec perplexa, aut vana censeri debet, celebris illa controversia de principio individuationis.

IX. Ἴδιον δὲ ἐστιν, ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι; μόνῳ δὲ ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος. Arist. 1. Top, cap. 5.

1. Modus prædicandi proprii est prædicari accidentaliter & reciproce.

2. Nullum attributum habet rationem proprij, nisi respectu ejus subjecti cui soli convenit, & cum quo reciprocatur.

3. Proprium sub nomine & notione Proprij solummodo ad Speciem refertur: cui non vel in speciem contradicit Philosophus lib. Categ. cap. 5. aut Porph. cap. 9. sua Isagoges.

4. Sicut animal non recte dicitur proprium sed commune homini & bruto, ita risibile absurde nimis censetur proprium in ordine ad singulares homines quia omnes commune illud attributum æqualiter participant; & per consequens eorum respectu non erit quartum prædicabile, aut quarta species Vniversalis, atque adeo nec omnino Vniversale: nam esse quartum prædicabile, & (vt statuit vulgus interpretum) esse quartam speciem Vniversalis, non aliud est quam esse Proprium.

5. Cum proprietas sit relatio opposita communitati, quicquid dixerint defensores monstrosæ vniversalitatis Proprij, vitare nequeunt, quin fateantur, idem attributum in essentia sua includere oppositas relationes. Quod non advertunt se aperte satis profiteri cum statuunt, quartum Prædicabile essentialiter esse, & Proprium & Vniversale: vniversalitas enim est quædam communitas.

6. Hæ prædicationes Homo est quantus, Petrus est risibilis, *& aliæ hujus farinæ, non sunt prædicationes Proprij, sed Accidentis communis.*

7. Multa igitur attributa profluunt ab essentia subjecti, & per con-

conſequens, de eo prædicantur ſecundo modo per ſe, quæ tamen ejus propria non ſunt.

8. *Et licet omne proprium prædicetur per ſe ſecundo modo, inepte tamen aſſeritur, ſecundum modum perfectitatis, eſſe proprium modum prædicandi quarti prædicabilis.*

9. *Eclipſis non eſt proprium, ſed commune accidens Lunæ.*

10. *Ergo datur demonſtratio accidentium communium.*

X. Eſſentia rei non recipit magis & minus, ſed omnino in indiviſibili conſiſtit.

1. *Ergo inhærentia actualis non eſt de eſſentia accidentis: hæc enim admittit intenſionem & remiſſionem.*

2. *Cum igitur accidentis eſſe ſit ineſſe, inhærentia aptitudinalis erit propria ratio & eſſentia accidentis, qua dicit intrinſecam, & actualem ejus dependentiam a ſubſtantia in participanda ratione entis.*

3. *Vt ſubſiſtentia ſe habet ad Subſtantiam, ita inhærentia actualis ad Accidens; h. e. non eſt ipſa ejus exiſtentia, & longe minus eſſentia, ſed tantum exiſtendi modus.*

XI. In quolibet ente diſtinguenda ſunt hæc tria, eſſentia, exiſtentia, & exiſtendi modus, quæ inter ſe individuo nexu cohærent; vt impoſſibile ſit dari eſſentiam in rerum natura ſine exiſtentia, & exiſtendi modo, tali eſſentiæ debito.

1. *Non minus impoſſibile eſt accidens exiſtere extra omne ſubiectum inhæſionis, quam ſubſtantiam non ſubſiſtere, ſed alteri inhærere.*

2. *Aptitudinalis inhærentia accidentis, non vel per ipſam Dei potentiam abſolutam, ſeparari poteſt ab ejus inhærentia actuali; quoniam hujuſmodi ſeparatio implicat contradictionem.*

3. *Nullũ igitur præbet patrocinium abſurdo Pontificiorũ commento tranſubſtãtiationis, & accidentis exiſtentiæ extra omnẽ ſubſtantiã.*

4. *Subſiſtentia accepta vt eſt modus exiſtendi ſubſtantiæ, eam primo diſtinguens ab accidente non aliud dicit quam eius exiſtentiam extra ſubjectum inhæſionis.*

5 *Etſi igitur natura humana Chriſti exiſtat in λόγῳ ſine perſonalitate humana (i) ſine ſubſiſtentia quæ conſtituit ſuppoſitum humanum, in eſſe ſuppoſiti, non tamen exiſtit ſeparata ab omni ſubſiſtentia creata; quia non caret illa quæ ſubſtantiæ finitæ ac creatæ tanquam proprius & reciprocus ejus exiſtendi modus debetur, in quantum extra omne ſubjectum inhæſionis exiſtit.*

XII. Tota

XII. Tota quantitas eſt in tota ſubſtantia quam extendit & ſingulæ ejus partes in ſingulis partibus ſubſtantiæ.

1. *Ergo partes ſubſtantiæ ſunt natura priores partibus quantitatis, quæ ipſis inhærent; ſubjectum enim omne eſt natura prius ſuo accidente.*

2. *Partes igitur entitativas habet ſubſtantia corporea ex ſe, & non non merito ſuæ quantitatis.*

3. *Partiales ſubſtantiæ manuum, pedum, & reliquorum membrorum, ſpectatæ vt a quantitatibus ſuis per mentis noſtræ operationem abſtrahuntur, ſunt, haud dubie, partes integrantes humani corporis; ſiquidem ad nullum aliud partium genus referri poſſunt.*

4. *Craſſe nimis philoſophantur qui partes entitativas diſtinguere nequeunt a quantitativis, putantque a quantitate eſſe quod ſubſtantia materialis vllas habeat partes integrantes.*

XIII. EST tertium adjacens primum & ſimpliciſſimum eſt Verbum, in quod reliqua omnia reſolvuntur, ipſum vero in aliud reſolvi nequit.

1, *Omnis enunciatio de verbo Adjectivo, & EST ſecundo adjacente, reſolvitur in aliquam de EST tertio adjacente.*

2. *Hæc propoſitio,* Roſa poteſt exiſtere, *quæ exiſtentiam poſſibilem de roſa enunciat, virtute ſaltem, & implicite, continet EST tertium adjacens; quod exiſtentiam ibi ſignificare non poteſt, niſi fatendum ſit enunciationem illam plane nugatoriam eſſe.*

3. *EST tertio adjacenti non æquipollet verbum EXISTIT, quod non minus commode reſolvitur in EST EXISTENS, quam CVRRIT in EST CVRRENS.*

4. *Nec magis nugatoria eſt hæc propoſitio,* Homo eſt exiſtens, *quam iſta,* Homo eſt currens; *nec minus in Philoſophia aut communi loquendi conſuetudine vſurpatur.*

5. *EST tertium adjacens in nulla enunciatione ſignificat exiſtentiam, ſed in omnibus ſolam vnionem prædicati cum ſubjecto.*

6. *Male Ariſtoteles textum interpretantur qui ex eo quod lib. περὶ ἑρμ. aſſeritur, enunciationem ſignificare aliquid eſſe vel non eſſe, colligunt, in omni enuntiatione eſſe vocem ſignificantem exiſtentiam in actu exercito: nonnut enim omnes*

Philo-

Philosophum ibi non aliud docere, quam enunciationis essentiam in hoc esse positam, quod significet attributum componi seu cohærere cum subjecto, vel ab eo dividi, seu non cohærere: unde illa veritas complexa in scholis vocari consuevit, VERITAS COMPOSITIONIS ET DIVISIONIS.

XIV. In propositionibus necessarijs, primus necessitatis gradus ponit tantum veritatis æternitatem: secundus superaddit nexum terminorum causalem, & essentialem; tertius, nexum reciprocum; atque ita essentialem nexum ab omni contingentia expurgat, & propositionem facit summe necessariam.

1. *Hæc propositio*, Petrus est homo, *non minus est necessaria necessitate primi gradus quamista*, Homo est animal.

2. *Multæ igitur dantur propositiones prædictæ necessitate hujus gradus quæ non sunt κατὰ πάντος.*

3. *Quare primus necessitatis gradus, absolute loquendo, non recte appellatur, κατὰ πάντος, sed tantum prout restringitur ad terminos universales, qui soli in demonstratione locum habere possunt: sub qua consideratione gradum hunc ab Arist. definitum esse arbitramur.*

4. *Propositiones omnes necessariæ necessitate secundi gradus, sunt per se, vel primo modo, & quarto, vel secundo, & quarto: quatenus enim terminorum nexus est causalis, propositio est quarto modo per se, quatenus vero est essentialis, est per se primo modo vel secundo.*

5. *In Propositionibus per se primo modo attributum constituit essentiam subjecti; in iis vero quæ sunt secundo modo per se, attributum ab essentia subjecti emanat: nec qui contra sentiunt unquam poterunt aliam assignare rationem, cur in his propositionibus terminorum nexus dicatur essentialis: quo enim pacto censebitur illud prædicatum ad subjecti essentiam pertinere, quod nec eam constituit, nec consequitur?*

6. *Definitio secundi modi per se ab Arist. allata sic concipienda est:* Prædicatum secundo modo per se est quod in sua definitione sumit subjectum a quo dimanat.

7. *Hæ propositiones*, Sol est lucidus, Ignis est calidus, Homo est diversus a bruto, *& aliæ hujusmodi, sunt per se secundo modo*

modo, quia conſtant attributo quod emanat ab eſſentia ſubjecti.

8. Non immerito igitur nobis diſplicet illa nuperrime allata definitio; Prædicatum ſecundo modo per ſe eſt quod ineſt ſubjecto adæquato, quod in ſui definitione ſumit; vel ſubjecto inferiori, quod in ſe ſubjectum adæquatum includit

9. Cum in prædictis propoſitionibus attributum non ſumat ſubjectum, neque aliquem gradum eſſentiæ ſubjecti in ſui definitione, non negandum eſt definitionem ſecundi modi per ſe ab Ariſtotele aſſignatam, præcipuis tantum iſtius modi propoſitionibus convenire, iis viz. qui conſtant terminis ad demonſtrationem extruendam idoneis. Quod certe mirum videri non debet, cum tota de gradibus neceſſitatis doctrina, ab Ariſt; non niſi in gratiam demonſtrationis tradatur.

10. Cum multæ ſint propoſitiones κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ & ἢ αὐτὸ quarum termini non cohærent nexu reciproco, vt patet in exemplis ſupra allatis, in quibus attributum convenit quidem ſubjecto ratione propriæ & ſpecificæ ſuæ naturæ, & tamen cum eo non reciprocatur; non verebor aſſerere dari propoſitiones ἢ αὐτὸ quæ non ſunt καθόλου nec præditæ neceſſitate tertij gradus; nihilominus tamen definitionem tertij gradus (quam tradit Ariſtoteles) recte intellectam cum definito ſuo reciprocari.

XV. Proprietates Entis in Metaphyſica de Ente demonſtrantur per ejus rationem formalem, etſi ab eo realiter non diſtinguantur; & dantur veræ ac proprie dictæ demonſtrationes διότι de ſecundis notionibus; vt cum de Vniverſali demonſtro prædicabilitatem de pluribus per aptitudinem eſſendi in pluribus, & de Demonſtratione aptitudinem pariendi ſcientiam per conditiones principiorum.

1. Cum igitur medium demonſtrationis διότι ſemper ſit adæquata cauſa majoris extremi, an non in iſtis demonſtrationibus medium erit affectionis demonſtratæ cauſa efficiens per neceſſariam emanationem; ſiquidem ad aliud genus cauſæ referri nequit?

2. Vnum, Verum, Bonum, emanant ab Ente, ſed ſine reali efficientia, & realibus relationibus cauſæ & effecti.

3. Et ideo recte dicuntur prædicari de Ente ſecundo modo per ſe.

4. Non omnis emanatio proprietatis a ſubjecto eſt realis effectionis

entia & actio, sed talis est qualem postulat natura terminorum (i) realis si termini sint reales realiter distincti, & mere rationalis si termini sint secundæ notiones: cum vero termini sunt reales non realiter distincti, emanatio est notionalis habens fundamentum in re.

XVI. Ἀπόδειξιν δὲ λέγω, συλλογισμὸν ἐπιστημονικὸν. ἐπιστημονικὸν δὲ λέγω, καθ' ὃν τῷ ἔχειν αὐτὸν ἐπιστάμεθα. Arist. 1. Post. cap. 2.

1. *Syllogismus quo Eclipsis de Luna demonstratur, est vera & proprie dicta demonstratio.*

2. *Datur igitur demonstratio cujus & assumptio, & conclusio sunt propositiones contingentes; atq; adeo cujus conclusio non est scibilis: quod enim scitur necessarium est & æternum. Arist. 1 Post. cap. 2.*

3. *Parit igitur demonstratio illa scientiam, non integram suæ conclusionis, sed solius affectionis, definitivam viz. cognitionem Eclipsεως.*

4. *Syllogismus non semper denominatur a debiliori parte, sed potest esse necessarius cum altera præmissarum est contingens.*

5. *Materia remota in demonstratione majoris est momenti quam materia proxima; & magis attendit demonstrator habitudinem medij ad majus extremum, quam ipsam propositionum necessitatem.*

6. *Proinde si necessarius, causalis, & reciprocus sit nexus medij cum majore extremo, syllogismus recte censetur necessarius, & vera demonstratio, quamvis accidentalis & contingens fuerit cohæsio minoris extremi cum medio, & extremorum inter se.*

XVII. Vitium materiæ syllogisticæ defectus est, haud dubie, ipsi syllogismo inhærens; nec si recta sit interna ejus constitutio, ob aliquid extra se, dicetur syllogismus vel in materia peccare, vel in forma.

1. *Nullum agnosci debet in Syllogismo materiæ vitium præter unam propositionum falsitatem.*

2. *Nec putandum est argumentationem cujus utraq; præmissa vera est aliquo materiæ vitio laborare.*

3. *Et nihil ineptius quam apparentem terminorum reciprocationem ipsi syllogismo tanquam materiæ ejus defectum imputare: hoc enim pacto Syllogismus dicticus, si cui videbitur constare terminis reciprocis, in materia peccare censebitur.*

4. *Vulgares istæ captiones a consequente peccant in sola forma*

forma, quia propoſitiones earum probabiles ſunt, & proinde materia talis, qualem poſtulat ſyllogiſmus dialecticus.

5. Fruſtra igitur ſe fatigant, qui probare nituntur, omnia omnino ſophiſmata peccare in materia.

6. Nos Ariſtoteli & communi interpretum doctrinæ adhærentes ſtatuimus quædam ſophiſmata peccare in materia ſola, quædam in forma ſola, cætera in vtraque.

THESES ETHICAE.

I.

FElicitas eſt bonum Καλὸν, τέλειον, τελειότατον ἀνταρκες quod hominibus calamitoſis ineſſe nequit, & demum (ſi eſſentiam ejus ſpectes) eſt operatio animæ rationalis, ſecundum virtutem præſtantiſſimam in vita perfecta. Ariſt. 1. Ethic. 5. 7. 10. & 12.

1. Qui generoſo & invicto animo fert graviſſimas calamitates, felix merito nuncupatur agit enim ſecundum heroicam fortitudinis virtutem, qua nulla in ſe præſtantior, nulla magis homini neceſſaria, vt pote animali prope ad miſeriam nato, & omnibus fortunæ injurijs expoſito.

2. Quid igitur vetat felicitatis moralis eſſentiam ſine bonis fortunæ conſiſtere poſſe?

3. Quia tamen ærumnoſa felicitas ἀνταρκείαν non admittit, nec cum egenis habitat ἀυτυχία vt ſibi conſtet Philoſophus noſter, omnino dicendum eſt ad felicitatem, non qualemcunque, ſed hominis politici, & qui in reipub: luce verſatur, requiri bona illa externa, tanquam virtutum quarundam inſtrumenta & adminicula, ſine quibus ea actionibus ſuis ſe prodere nequeunt.

4. Quocunq; modo ſumatur felicitas moralis, non putandum eſt eam in internis virtutum actionibus, ſed externis potius ſitam eſſe; ſiquidem ob internam actionem (i) præelectionem probam, & ſtabilem intentionem bene agendi, ſi ea externis actionibus ſe non manifeſtaverit, nemo beneratur; nec dici poteſt actio hæc

bonum τελεώταλον, cum ad externam, tanquam ad vlteriorem finem dirigatur.

5. *Miseria felicitati morali contraria posita est in actione animæ rationalis, secundum vitium teterrimum, in vita etiam perfecta.*

6. *Vt sola virtus hominem felicem, ita vitium solummodo hominem miserum reddit.*

7. *Esto verum, quod dici solet, hominem esse fortunæ suæ fabrum; ego tamen facilius admisero vnumquemq; esse felicitatis suæ, aut miseriæ fabrum, quatenus vel consuetudine bene agendi habitum virtutis, vel consuetudine male agendi habitum vitij, acquirit.*

II. Habitus est qualitas, potentiam cui inhæret, facilitans in operationibus suis eliciendis; imo est ipsa potentiæ facilitas operandi circa certum aliquod objectum; quæ si potentiam inclinat ad operationes perfectas & naturæ suæ congruentes, virtus appellatur; & est vel supernaturalis (i) a Deo infusa, vel naturalis (i) naturæ viribus & artibus nostris acquisita: quæ pro diversis animæ nostræ partibus, dividitur in virtutem intellectualem & moralem.

1. *Facilitas prælegendi bonum, quam voluntas hominis prudentis crebro eligendo sibi acquirit, cum sit habitus bonus, & hominem perficiat in ordine ad operationes morales, est virtus, haud dubie, moralis; siquidem ad aliud virtutum aut habituum genus referri nequit.*

2. *Ergo prælectio proba quam prompte elicit voluntas, non est principium virtutis moralis, ejusve actionis interna, sed est ipsa virtutis moralis actio interna. vnde & virtus ab Arist. definitur ἕξις προαιρετικὴ . 2. Ethic. cap. 6.*

3. *Vt in appetitu sensitivo, crebro obtemperando rationi & imperio voluntatis, nascitur habitus obtemperandi, ita voluntas crebro imperando appetitui, & coercendo exorbitantes ejus perturbationes, quas prius egre ac difficulter coercebat, acquirit facilitatem imperandi, cui, vt pote excellentiori habitui, potius quam isti obedientiali, virtutis nomen tribuendum existimamus; præsertim, cum ex Arist. 1. Polit. virtus magis requiratur in imperante quam in eo qui paret.*

4. *Cum*

4. Cum habitus ſpecificam diſtinctionem capiant ab objectis ſuis, & actibus, ſicut facilitas moderate appetendi honores, in appetitu ſenſitivo habitus eſt ſpecie diſtinctus, a facilitate moderate appetendi divitias &c. cur non etiam in voluntate erunt bi habitus ſpecie diſtincti, ſi non minor hic quam illic ſit objectorum diſtinctio, & actuum, & apud omnes in confeſſo ſit dari etiam in voluntate hujuſmodi objectorum appetitiones, quæ cum debitum obtineant modum, ac moderationem, ſunt ipſi moralium virtutum actus interni?

5. Idem eſt habitus quo voluntas hominis præeligit bonum, moderate appetit id quod appetendum eſt, & appetitus ſenſitivi perturbationes ad debitam mediocritatem reducit; imo βελαίως καὶ ἀμεταπτώτως eligendo bonum, & modo debito appetendo illud quod appetere licet, appetitui ſenſitivo politicus imperat, ejuſq; affectiones ad laudabilem mediocritatem redigit. atq; hic habitus non aliud eſt quam virtus moralis.

6. Charitatem Peripateticorum, quam vocat Picolominaus vocem & ſpiritum omnium virtutum, nos jure merito merum eſſe figmentum arbitramur, cujus nuſquam in Philoſophia ſua meminit Ariſtoteles. Et certe ſi habitus eſt vtilis ac laudabilis in appetente animi parte ſedem habens, erit vtique virtus moralis: at neq; eſt virtus aliqua particularis i.e. fortitudo, aut temperantia &c. nec virtus vniverſa, tum quia hæc non eſt habitualis amor honeſti, ſed amorem ſimul & odium, communes perturbationum fontes coercet, ac moderatur; tum quia in eadem animæ facultate ſedem habet, in qua virtutes reliquæ morales: quod novæ hujus charitatis propugnatores de ea nunquam admiſerint.

7. Virtutes omnes morales in voluntate hominis vt in ſubjecto, ſedem habent; quibus in appetitu ſenſitivo totidem reſpondent habitus obedientiales, quos recte agnoſcit Scotus 3. lib ſenten. diſp. 33. nec contradicit Ariſtoteles quicquid alij contra ſentiant, ſeipſos decipientes inepta interpretatione verborum 1 Ethic. cap. 13 & 3 de Anima text. 42 & 43.

III. Liberum hominis arbitrium eſt naturalis ejus facultas, qua ex his quæ ad finem aliquem conducunt, vnum præ alio eligere, vel vnum & idem acceptare aut reſpuere vel etiam actum ſuum eligendi, aut reſpuendi ad tempus ſuſpendere & cohibere valet.

1. *Non complectitur intellectum & voluntatem, aut eorum actus, nec eſt tertia quædam potentia ab his diſtincta, ſed eſt ipſa voluntas limitata ad certum objectum, viz. res de quibus eſſe poteſt conſultatio & electio.*

2. *Differt igitur voluntas a libero arbitrio præcipue ratione amplitudinis objecti, ejus enim actus ſe extendit ad omne bonum, ſive illud medium ſit, ſive finis; at liberum arbitrium tantum circa media ad finem ducentia verſatur.*

3. *Præter immunitatem a coactione, quæ convenit etiam appetitui brutorum, in voluntate hominis duplex eſt libertas, una contrarietatis, quæ non aliud eſt quam ejus indifferentia ad contrarias volitiones, nempe electionem & averſationem, altera contradictionis ſeu exercitij, quæ ei competit quatenus poteſt vel ejuſmodi actiones elicere, vel ſeipſum ad tempus cohibere ne eas eliciat.*

4. *Omnes omnino voluntatis actiones elicitæ ſunt ſpontaneæ, ipſa tamen in omnibus ſuis actibus libera non eſt, ſed in iis ſolis qui verſantur circa τα βουλευτα.*

5. *Quod voluntas neceſſario appetit (cujuſmodi eſt finis ultimus, & media cum eo neceſſario nexu cohærentia) illud non libere appetit, bi enim modi appetendi inter ſe oppoſiti ſunt.*

6. *Etſi igitur libertas neceſſario inſit omni voluntati, non tamen omne voluntarium eſt liberum: & licet idem poſſit eſſe & voluntarium, & neceſſarium, impoſſibile tamen eſt idem eſſe liberum & neceſſarium; niſi forte intelligatur neceſſitas ex hypotheſi.*

7. *Voluntaria ſunt ſpirituales regenitorum actiones quæ a Spiritu ſancto voluntates eorum ſuaviter ſed irreſiſtibiliter inflectente proveniunt: eas tamen liberas eſſe, aut a libero hominis arbitrio pendere, nemo ſanus admiſerit.*

8. *Neceſſaria determinatio voluntatis ad unum in quibuſdam actibus non tollit ejus libertatem in aliis, nec obſtat quominus, abſolute loquendo, dicatur facultas libera.*

IV. Pri-

IV. Prima cauſa cum ſecundis in omnibus earum actionibus cooperatur, ineffabili ſua providentia, omnia quæ in mundo eveniunt, tam bona quam mala, ab æterno non tantum prævidit, ſed ſapientiſſime præordinauit, & nunc in tempore potentiſſime regit, ac dirigit quo vult, nullius tamen hominis voluntatem movet aut inflectit ad peccandum, nec cuiquam male agendi neceſſitatem imponit.

1. *Durus & temerarius eſt eorum ſermo, qui dicunt Deum glorioſum, ita cooperari cum hominis voluntate in omnibus ſuis actionibus, tam bonis quam malis, vt eam prævia motione, etſi non coactiva, irreſiſtibili tamen, excitet & determinet, ad hoc objectum eligendum, potius quam illud.*

2. *Voluntas noſtra non eſt libera ab ea peccandi neceſſitate quæ neceſſitas infallibilitatis appellatur: Deus enim omnia noſtra peccata prævidit; quicquid autem Deus prævidit, illud fit neceſſario ſecundum hanc neceſſitatem.*

3. *Libera tamen eſt ab omni motiva ſeu cauſali neceſſitate male agendi reſpectu primæ cauſæ, aut vllius omnino principij externi.*

4. *Sola hæreditaria noſtra corruptio quam in Adamo contraximus, nos neceſſario impellit ad peccandum, & efficit vt quamdiu hic ſumus, non poſſimus non peccare.*

5. *Quiſquis tamen peccat, non ſolum ſponte, ſed & libere peccat, & ante peccatum aliquod commiſſum, in poteſtate ſua ſitum habet, vt vel illud, Deo permittente, committat, vel ab eo committendo abſtineat.*

6. *Illa igitur naturæ noſtræ prauitas, neceſſario & inevitabili motione nos adigit ad perpetrandum, vel hoc vel illud peccatum, indeterminate; neminem tamen ad particulare aliquod peccatum perpetrandum, determinate, neceſſitat.*

7. *Ergo licet nos ineptos reddat ad omne opus bonum; & pronos ac*

pra-

Præcipites ad omne malum, voluntatis tamen noſtræ libertatem non tollit, nec impedit quin liberi arbitrij uſum habeamus in rebus omnibus quæ cadunt ſub noſtram deliberationem.

8. *Quælibet actio hominis ſive bona, ſive mala, non minus immediate provenit a Deo cooperante cum homine, quam ab ipſius hominis voluntate; ita tamen ut Deus omnino immunis ſit ab actionis illius, ſi mala ſit, turpitudine: actio enim illa non eſt turpis, nec deformitatem ſibi annexam habet, niſi quatenus eſt actio talis ſpeciei; non autem eſt actio talis ſpeciei, eo quod a Deo proſiſcatur, ſed in quantum provenit ab homine, & ejus voluntate depravata; ſiquidem concurſus primæ cauſæ (ut docent Metaphyſici) quo ad ſpeciem actionis, determinatur a cauſa ſecunda.*

9. *Doctrina Philoſophiæ moralis de voluntatis noſtræ libertate non pugnat cum ſacra Theologiæ dogmatis de providentia Dei, de Fato quod ei ſubordinatur, & de libero hominis arbitrio.*

V. Voluntas eſt ex ſe potentia omnino cæca, ut ne minimum quidam progredi poſſit niſi quaſi manu ducatur ab intellectu; nec aliam ob cauſam dicitur appetitus rationalis, quam quia nihil appetere poteſt, niſi illud quod ratio judicat eſſe appetendum.

1. *Cum igitur appetit quod non appetere debet, eſt, haud dubie, falſum judicium in intellectu practico, quo judicatur illud appetendum quod revera appetendum non eſt.*

2. *Ergo omnis prava volitio provenit ex aliquo falſo judicio aut errore intellectus.*

3. *Nec dubitandum eſt quin erraverit intellectus primi hominis in judicando priuſquam ejus voluntas defecit in appetendo.*

4. *Qui ex malitia aut contra conſcientiam peccant, non peccant contra omne judicium intellectus, ſed tantum contra judicium habituale, h. e. firmam & certam notitiam quam in mente radicatam habent de tali objecto non appetendo.*

5. *Actus intellectus ſunt natura priores actibus voluntatis; nec debet in controverſiam vocari quin detur ſingularis aliquis actus intellectus, qui omnem voluntatis actionem antevertit.*

6. *Etſi igitur, ut plurimum, voluntas intellectum ad intelligendum applicet, & eundem ab intellectionis opere pro libitu cohibeat*

bibeat; intellectus tamen a voluntate, quoad exercitium sui actus non dependet necessario, imo non raro operatur, non solum præter, sed & contra voluntatis propensionem; vi cum ea intelligimus a quorum cogitatione animus abhorret. Quod etiam evenit dæmonibus, qui majestatis divinæ reverentia coacti credunt & horrescunt. Iac. 2. 19.

VI. Ea potentia dicitur libera, quæ, positis omnibus quæ ad ejus operationem prærequiruntur potest operari vel non operari. Vnde & domina suorum actuum appellatur.

1. *Cum igitur judicium intellectus practici sit quid prærequisitum ad actiones voluntatis, eo etiam posito voluntas erit indifferens ad objectum appetendum aut non appetendum.*

2. *Falsa est sententia Thomæ asserentis voluntatem determinari ab vltimo judicio intellectus practici, & necessitari ad objectum illud appetendum, quod intellectus, post maturam deliberationem, judicat esse melius.*

3. *Voluntas semper quidem sequitur vltimum judicium intellectus (judicium enim cui voluntas se conformat, quodcunq; illud sit, recte appellatur vltimum) verum non necessario illud sequitur, sed libere, quia poterat se non conformasse judicio isti cui se conformavit.*

4. *Intellectus non est potentia libera quia non est indifferens ad assentiendum & dissentiendum, quandocunq; ejus objectum evidenter ab ipso cognoscitur: omni enim vero, cujus veritas apparet, necessario assentitur, & omni falso cujus falsitatem perspectam habet, assensum denegat.*

5. *Concludimus igitur, libertatem arbitrij soli voluntati inesse formaliter, intellectui autem tantum radicaliter; quatenus nimirum vis deliberativa intellectus est radix illius libertatis quæ voluntati inhæret.*

THESES PHYSICAE.

I.

CVm naturales Philosophi doceant materiam primam esse puram potentiam, nomine potentiæ denotant ens illud imperfectum, quod nec actus est, nec in essentia sua actum physicum includit; ipsam vero materiæ aptitudinem ad formam seu formæ capacitatem non significant: nemo enim dixerit materiam quæ substantia est esse aptitudinem quandam, aut formæ capacitatem, sed esse substantiam formæ capacem, seu aptam ad formam recipiendam, posteriori autem hoc sensu haud dubie sumitur potentia, cum materiæ quidditatem investigantes quærimus, vtrum potentia ad formam sit de essentia materiæ, an vero tantum ejus accidens?

1. *Identica est hæc prædicatio*, Materia prima est pura potentia; *qualis nempe est prædicatio definitionis de definito.*

2. *Male putant nonnulli, vniversalem potentiam in abstracto de materia prædicari posse: ea enim non aliud est quam capacitas formarum indefinite sumpta, seu aptitudo ad multas formas indifferenter recipiendas.*

3. *Nec minus hallucinantur cum negant, potentiam particularem esse materiæ accidens commune, cum ea adsit materiæ & absit sine ejus imeritu, cumq; materia particulares potentias mutet pro formarum sibi succedentium varietate; siquidem in materia seminis v. g. existit particularis potentia (1) aptitudo ad recipiendum animam pra aliis omnibus formis quæ pereuntibus dispositivis qualitatibus recedit, vt nova potentia ad novam formam ei succedat, quam sua quoq; novarum qualitatum dispositio comitatur.*

4. *Nihilominus tamen vere dico materiam, & esse potentiam essentialiter, & ens in potentia, & substantiam potentem seu capacem formæ.*

II. Creatio est alicujus productio ex nihilo (1) nullo subjecto præsupposito; cujus terminus adæquatus esse

potest

potest ens incompletum, & partiale; vt patet in anima rationali.

1. *Frustra receptæ Philosophorum sententiæ adversantur, qui negant productionem materiæ primæ esse veram & proprie dictam creationem.*

2. *Materia prima per solam creationem produci potest, & per solam annihilationem destrui.*

3. *Omnis materia, quæ hodie existit, extitit ab initio mundi.*

4. *Materia prima in Petro existens ante ipsum Petrum existebat eadem numero sub forma seminis, alimenti, herbæ, elementorum, & aliorum forte multorum corporum, quæ per corruptionem resoluta erant in elementa.*

5. *Non tantum existentiam habet materia ex se, sed & subsistentiam licet partialem & incompletam, quia sustentat formam & accidentia omnia materialia, atq; ita existit per se, vt impossibile sit, eam, vel in subjecto inhæsionis, vel in subjecto substantialis informationis existere.*

III. Cum quantitas, derivatur a materia, vt quantitates quædam activæ a forma (i) per necessariam emanationem, (neque enim alius hic derivandi modus excogitabilis est) non minus impossibile erit quantitatem separari a materia, quam risibilitatem ab essentia humana. Et certe si quantitas corporis naturalis provenit, non ab ejus forma, sed a materia; si formalis quantitatis effectus confertur formæ tantum beneficio materiæ, (quod omnes profitemur cum dicimus formam non extendi, nisi ad extensionem materiæ, nec divisibilem esse nisi ad ejus divisionem) si impossibile est agens naturale in materiam agere, & novam in ea formam producere nisi præsupposita quantitate (quo enim pacto recipietur actio substantiæ corporeæ & forma physica in puncto aut subjecto indivisibili?) negandum non est quantitatem materiæ inseparabili nexu cohærere, & ejus dispositionem esse ad omnis mutationis, & formæ physicæ receptionem necessario prærequisitam.

1. *Vt omnis materia prima, ita & omnis quantitas in rerum natura existens, extitit in primordio mundi, & vna cum materia per eandem*

Dei actionem comproducta est; nec magis generationi aut corruptioni obnoxia est quantitas, quam ipsa materia.

2. *Singularis materia Petri cum singulari sua quantitate, tanquam dispositione necessaria ad formæ cujuslibet receptionem, diu extitit ante ipsum Petrum, & ejus formas substantiales; nempe hanc formam mistionis, & animam rationalem quas jam sustentat.*

3. *Ergo vnio quantitatis & ejus inhærentia in hac materia, via originis, & ordine executionis, est prior vnione hujus formæ substantialis cum ea.*

4. *Ergo quantitas Petri est natura prior ipso* Petro, *atq; adeo accidens quoddam natura prius illa prima substantia cui inhæret, & vnum per accidens vno per se.*

5. *Si omnis dispositio inhæret ei quod disponit; si quantitas Petri extitit in materia Petri ante ipsum Petrum, & post ejus interitum existet, quis negaverit quantitatem proxime in materia subjectari?*

6. *Cum omnis terminatio materiæ, & quantitatis proveniat a forma, quantitas a materia profluens, vt talis, non alia esse potest quam interminata (i) quæ licet in rerum natura semper terminata existit, spectata tamen in essentia sua & quatenus a materia profluit, nullis terminis definita est, sed indifferens ad omnes, & apta pro varietate formarum varios subire terminos, nunc viz. raritatem, nunc densitatem, nunc hanc figuram, nunc illam; & aliquando majores habere dimensiones, aliquando minores.*

7. *Quantitatem igitur interminatam, materiæ coævam a Thomæ sectatoribus, immerito explosam, nos cum Averroe Zabarella, & alijs magni nominis Philosophis, jure merito retinendam censemus.*

IV, Forma quæ motu locali acquiritur, & ejus terminus ad quem est *Vbi* (i) realis præsentia rei in loco, siue vero, sive imaginario spatio; quæ existere tantum incipit cum motus desinit: neque enim habet aer v. g. præsentiam in loco suo naturali quamdiu movetur sursum, sed postquam a motu cessavit.

1. *Fieri potest motus localis sine loco, sed non sine præsentia locali.*

2. *Ergo*

2. *Ergo datur vera præsentia localis sine vero loco.*

3. *Toto tempore quo fit motus localis, mobile præsentias locales mutat; unum semper Vbi acquirit, & aliud de novo assumit donec tandem ventum sit ad illud Vbi, quod est ejus terminus ad quem; quo acquisito cessat motus.*

4. *Existente motu locali non existit ejus terminus adquem nec quoad se totum, nec quoad aliquam sui partem seu gradum; siquidem Vbi quod motum localem terminat nullam habet latitudinem gradualem, sed omnino in indivisibili consistit.*

5. *Motus universe sumptus, nec est forma fluens, nec fluxus formæ; imo nec Fieri formæ; & longe minus forma in Fieri sed est tendentia mobilis ad formam, & via inter duos terminos, quorum utrumq; essentialiter respicit, sed principalius terminum ad quem.*

6. *Successio partium motus localis provenire nequit a graduali latitudine termini ad quem, & resistentia contrarij, quia nec resistentia hæc, nec latitudo in ejus terminis locum habere potest.*

7. *Cum igitur in hoc conveniant motus localis, & motus in quantitate, illa successionis ratio vera tantum erit de motu alterationis.*

8. *Explodenda est eorum sententia qui statuunt motum non re differre a termino ad quem.*

V. Actus moventis in mobili dum spectatur vt est via inter duos terminos & formæ acquisitio, habet rationem motus, quatenus a movente egreditur est actio, & quatenus in mobili recipitur est passio.

1. *Non recedendum est a recepta Peripateticorum doctrina asserentium has tria, motum, actionem, & passionem, inter se non distingui realiter, sed tantum distinctione rationis (vt vocant) ratiocinatæ.*

2. *Etsi actio & passio possint esse sine motu, vbicunq; tamen est motus, ibi necessario adsunt & actio & passio.*

3. *Nec tamen recte dixeris actionem & passionem esse in motu, aut esse aliquid motus; imo nec omnino hæc de motu aut motum de his rite enunciaveris.*

4. *Idem singulare accidens a parte rei est & actus essentialiter et*

impe-

ſectus & perfectus, & motus, & actio, & paſſio, licet hæc inter ſe toto genere differant.

5. *Actio & paſſio, cum ſint diverſa entia & diſtincta genera ſummæ, recte dicuntur diverſæ res, ita tamen vt hæc diverſitas ab intellectus noſtri operatione dependeat.*

VI. Duratio motus eſt ſucceſſiva, aliarum vero omnium rerum durationes fixæ, ſimultaneæ, & permanentes: talis enim eſt duratio quale eſt *eſſe* rei durantis; nec alia aſſignari poteſt ratio cur duratio ſit ſucceſſiva, quam quia res durans non habet totum ſuum *eſſe* ſimul, ſed vnam partem alteri continuo fluxu ſuccedentem.

1. *Duratio ſubſtantiæ cujuſlibet tam corruptibilis quam incorruptibilis in ſe ſpectata, nec longa eſt nec brevis, nec longior aut brevior alia duratione, æqualis ei aut inæqualis; nec omnino partibus conſtat, ſed in indiviſibili conſiſtit, & tota datur primo inſtanti quo ipſa ſubſtantia exiſtit.*

2. *Ergo diſtinctio vitæ ſeu durationis viventium in varias partes & ætatum periodos eſt merum opus intellectus noſtri.*

3. *Et cum vita hominis dicitur longa vel brevis, & 70 aut 80. annorum; denominatio eſt tantum extrinſeca, deſumpta a tempore cœleſti, cui coexiſtit hominis vita, & commenſuratur ratione mutationum quibus obnoxia eſt.*

4. *Nihilominus tamen recte aſſero, ævum reapſe excedi ab æternitate, & ab ævo tempus, ac rerum omnium caducarum durationes; & ſimiliter, hujus animantis vitam illius vitam excedere.*

5. *Omnium omnino rerum durationes a nobis, ab imperfectionem noſtræ cognitionis concipi ſolent cum quadam extenſione, & quaſi partium ſibi ſuccedentium continuatione; ſed nulla rerum fixarum duratio vt quanta cognoſcitur, niſi per relationem ad tempus coexiſtens, vel verum, vel imaginarium.*

6. *Cujuſvis motus ſucceſſivi duratio veram obtinet rationem temporis, & Ariſtotelicam temporis definitionem participat.*

7. *Datur verum tempus in ſpiritalibus Angelorum motibus, quod in ipſis Angelis, mediante motu, ſubjectatur.*

8. *Non tam ipſum Tempus, quam Eſſe in tempore, eſt affectio phyſica de corpore naturali demonſtrabilis.*

VII. Ge-

VII. Generatio ſubſtantialis eſt mutatio inſtantanea, qua forma ſi materialis ſit, ex materiæ vi naturalis agentis diſpoſitæ potentia educitur, eique ſimul vnitur ad compoſitum conſtituendum; ſin vero immaterialis ſit, cujuſmodi eſt anima humana, materiæ tantum vnitur, atque ita compoſiti eſſentiam conſtituit.

1. *In inſtanti generationis eidem materiæ inſunt duæ formæ contrariæ, nec non forma, & ejus priuatio quæ duo prima contraria dicuntur.*

2. *Neutra tamen illarum formarum materiam ſimpliciter actuat, ſed tantum ſecundum quid, quia earum altera nempe forma veteris, in illo inſtanti aboletur, & eſſe deſinit; noua autem forma tantum eſt in Fieri & materiam incipit actuare.*

3. *Cum igitur generatur corpus inanimatum, materia prima exiſtit a nullo actu ſubſtantiali ſimpliciter actuata; ſed actus qui tunc materiam ſimpliciter actuat eſt motus ille generationis, qui eſt actus eſſentialiter imperfectus.*

4. *Eductio formæ ex potentia materiæ, ejuſdem unitio cum materia, & totius compoſiti productio, reipſa ſunt eadem numero actio generantis, & vbi concurrunt, in iis omnibus vel earum qualibet natura generationis recte poſita eſſe ſenſetur; ſed principalius in vnitione illa, aut productione, quia ſine his nulla poteſt eſſe generatio.*

5. *Dignitas & excellentia humanæ naturæ ſui generationem in hoc differe facit ab omnibus aliis, quod forma hominis per eam non producatur, ſed a Deo producta (a quo ſolo produci poteſt) vniatur tantum cum materia; atq; adeo quod terminetur, non ad eſſe formæ ſimpliciter, ſed ſolummodo ad ejus eſſe in materia.*

6. *In ſola igitur hominis genitura, productio formæ eſt actio re diſtincta a productione compoſiti; hæc nimirum generatio eſt, illa vero creatio, quæ ambæ fiunt in eodem temporis momento, ſed ita vt creatio hæc generationem naturæ ordine præcedat.*

7. *Etſi verum ſit, quod dici ſolet, Deum animam rationalem creando corpori humano infundere, & infundendo creare, abſurde tamen loquuntur qui aſſerunt, Deum vnire animam cum corpore, quia hoc pacto ſequetur hominem non ab homine generari, ſed a Deo.*

8. *Non magis, aut ſpecialiori influxu concurrit Deus cum virtute prolifica ſeminis, ad animæ vnitionem cum corpore aut ejuſdem eductionē ex potentia materiæ, quam cum alio quovis agente inſtrumentario*

ad naturalis ſui effectus productionem.

9. *Productio Adami ex limo terræ & Evæ ex coſta Adami, nec non corporum noſtrorum reſurrectio, quæ futura eſt ad diem extremi iudicij, ſunt mutationes ſubſtantiales, non ad generationem, ſed creationem potius referendæ, ſiquidem generatio omnis eſt mutatio a privatione formæ ad ipſam formam, in iſtis autem mutationibus, materia non habet potentiam particularem ad talis formæ receptionem, & per conſequens, nec formæ illius privationem.*

10. *Miraculoſam tamen generationem, qua Chriſtus Dominus noſter ex ſemine mulieris factus eſt, ſubſtantialis generationis naturam vnivoce participare aſſerimus.*

VIII. Rationalitas quæ eſt hominis differentia ſpecifica, & ſine dubio, ſubſtantia, a parte rei, vel eſt ipſa anima rationalis, vel aliqua ejus pars, vel totalis natura hominis phyſica.

1. *Cum igitur nec ſit ipſa anima, nec aliqua ejus pars (quod ratione evidentiſſima evincam) omnino dicendum eſt eam eſſe totalem hominis naturam phyſicam, ab ejus animalitate ſeu natura ſenſitiva, non re, ſed ratione diſtincta.*

2. *Gradus Metaphyſici corporum naturalium, tum inter ſe, tum a totali eſſentia phyſica, diſtinguuntur ſola diſtinctione rationis habente fundamentum in re.*

3. *Forma generica viventium non realiter differt ab eorum forma ſpecifica, ſed eadem forma phyſica viz. propria anima tribuit viventi cuilibet, & eſſe ſpecificum, & ſuperiores omnes eſſentiæ gradus: cum enim forma det eſſe compoſito naturali, formæ re diverſæ non poſſunt non tribuere eſſentias, & eſſentiæ gradus realiter diſtinctos.*

4. *Ergo forma miſtionis non eſt viventium forma generica nec vllum ijs eſſentiæ gradum tribuit, ſed conſtituit miſtum illud incompletum quod eſt altera eſſentiæ pars phyſica, & corpus viventis appellatur.*

5. *Corpus miſtum non eſt vnivocum prædicatum viventis, nec omnino gradus aliquis Categoricus eo ſuperior.*

6. *Nos igitur cum Porphyrio cap. de Specie, recte ſtatuimus primam*

primam divisionem corporis naturalis in species proprie dictas esse eam, qua dividitur in corpus animatum & inanimatum; quod vt pote natura prius, priori loco in Physica explicatur; & subdividitur in corpus simplex, quod ab Aristotele tractatur in libris de Cœlo, & corpus mistum de quo agitur in libris de Ortu & Interitu.

7. Etsi in vivente locum habeant plures formæ substantiales, nempe forma mistionis quæ ad ejus materiam pertinet, & anima quæ materiam hanc informat, multitudo tamen formarum ὑ πάλληλος τεταγμένων essentiæ vnitatem in viventibus evertit.

IX. Materia physica est potentia substantialis, forma autem actus; cujus proprium munus est essentiam compositi naturalis complere & perficere, illudque facere ens actu & completum quod prius tantum erat ens in potentia.

1. Ergo, cum omnes gradus Categorici, qui viz. in recta serie Categorica subordinantur, sint entia actu & completa, maneat immotum, formam rerum naturalium ijs omnes essentiæ gradus tribuere, materiam vero nullum.

2. Etsi materia non inepte dicatur radix corporeitatis in rebus naturalibus, non tamen materia sed forma quatenus materiam actuat, & vna cum ea essentiam physicam constituit, composito naturali tribuit esse corporeum; quia ea sola, non vero materia, facit compositum naturale ens actu & completum.

X. Forma mistionis solam materiam primam idoneis qualitatibus dispositam & sibi accomodam informare potest.

1. Corpus mistum in genere non aliud dicit quam essentiam physicam, seu naturam, ex materia prima & forma mistionis conflatam.

2. Cum igitur hæc natura in viventibus sit ens incompletum, vt pote quæ est altera eorum pars physica, in qua, vt propria materia recipitur anima, quo pacto censebitur viventium natura generica? siquidem omne genus Categoricum est ens completum.

3. Non omne prædicatum quod de subjecto dicitur continet quicquid a subjecto continetur, nisi intelligas, connotative, quo modo prædicatum etiam accidentale continet subjectum suum, & omnia

subjecti praedicata essentialia.

XI. Omnis forma physica tribuit composito naturali esse corporeum, & esse substantiale, idque re diversum ab essentia quam tribuit alia quælibet forma, ab ipsa realiter distincta: nam vt vnitas, ita & distinctio omnis essentiæ, in rebus naturalibus, necessario sumitur a forma.

1. *Ab vnica sua anima rationali habet homo non solum quod sit homo, & animal, & vivens, sed etiam quod sit corpus & substantia. & certe si absurdum non est, animam hominis quatenus est sensitiva, conferri homini* esse *animalis, & quatenus est vegitativa* esse *viventis, cur absurdum videbitur eandem animam, quatenus est forma physica substantialis, conferre homini esse corporeum & esse substantiale.*

2. *Vt non anima, ita nec alia quævis forma physica, tribuit composito suo esse substantiale præcise, sed tale esse substantiale, quod necessario includit superiores omnes essentiæ gradus; siquidem præcisio illa, seu abstractio, & graduum distinctio, non convenit rebus naturalibus ex parte rei, sed tantum per intellectus nostri operationem.*

3. *Sicut igitur ob id negandum non est formam lapidis v. g. tribuere lapidi non tantū* esse *lapidis, sed etiam* esse *corporeum, & esse substantiale; ita negari nequit, animam quæ est forma viventis, & esse animatum & superiores illos essentiæ gradus viventi conferre.*

XII. Dum natura generationem hominis molitur, eodem instanti quo aboletur forma seminis, ex materiæ potentia educitur nova forma mistionis, quam plane impossibile est ex elementorum formis sive integris, sive fractis constare. Quis enim putaverit quatuor elementa dum fit novi hominis productio, e naturalibus suis sedibus evocari, cogi in veterum mulieris, ibique concurrere, confligere, & se mutuo alterare, vt ex eorum formis refractis & castigatis consurgat nova misti illius incompleti forma, quod corpus hominis appellatur? nec dixerit quispiam, formam seminis resolvi in formas elementares, e quibus constabat, vt ex his de novo fiat alia misti forma, quia (vt alia taceam absurda) sequetur

tur inde materiam seminis aliquandiu omni forma nudatam existere.

1. *Cum igitur forma mistionis in homine & reliquis animantibus, non sit simplicior, sed potius minus simplex, quam in rebus inanimatis, vniversaliter pronunciandum est, formam hanc, cujuscunq; misti forma sit, ex elementorum formis non coalescere, sed in se spectatam, non minus esse substantiam simplicem, quam est ipsa forma elmenti aut corporis cœlestis.*

2. *Ergo elementa, quoad substantiam suam, non magis manent in misto, quam in homine semen ex quo fit homo; sed tantum manent quoad qualitates refractas, & ad temperiem redactas Arist. 1. de Ortu cap. 10. text. 84. item 2 de Part. Animal. cap. 1.*

3 *Plurima sunt perfecte mista ad quorum generationem quatuor elementa nec concurrunt, nec concurrere possunt; quatamen ex elementis modo aliquo constare, & in eadem resolui posse asserimus.*

4. *Non qualibet misti generatio mistio appellari debet, sed ea sola quam immediate præcedit elementorum congressus, & mutuus interitus*

5. *Mistio proprissime dicit illam elementorum conjunctionem, quæ fit ante constitutionem misti, dum elementa congrediuntur, seseq; invicem alterant, demoliuntur, & minutatim concidunt, partesq; vnius partibus alterius adhærescunt. Quo sensu ab Arist. 1. de Ort. cap 10. definitur* Miscibilium alteratorum vnio.

6. *Ad veram misti rationem sufficit quod ejus generatio elementorum congressum aliquando factum præsupponat; quodq; forma ejus, tanquam dispositiones, postulet quatuor elementorum qualitates ad temperiem redactas.*

Soli Deo gloria.

FINIS.